

tamen et inter nos versantur. Emines, excellis, ut honor, ut potestas, quae super homines quidem, hominum sunt tamen. Ante te principes, fastidio nostri, et quodam aequalitatis metu, usum pedum amiserant. Illos ergo humeri ceruicesque seruorum super ora nostra: te fama, te gloria, te civium pietas, te libertas, super ipsos principes vehunt; te ad sidera tollit humus ita communis et confusa principis vestigia.

XXV. Nec vereor, P. C., ne longior videar, quum sit maxime optandum, ut ea, pro quibus aguntur principi gratiae, multa sint: quae quidem reverentius fuerit integra illibataque cogitationibus vestris reservari, quam carptim, breuiterque perstringi, quia fere sequitur, ut illa quidem, de quibus taceas, tanta, quanta sunt, esse videantur. Nisi vero leviter attingi placet, locupletatas tribus, datumque congiarium populo, et datum totum, quum donatiui partem milites accepissent. An mediocris animi est, his potius repraesentare, quibus magis negari potest? quamquam in hac quoque diuersitate aequalitatis ratio seruata est. Aequati sunt enim populo milites eo, quod partem, sed priores; populus militibus, quod posterior, sed totum statim accepit. Enimvero qua benignitate diuisum est? quantae curae tibi fuit, ne quis expers liberalitatis tuae fieret? Datum est his, qui post edictum tuum in locum erasorum subditi fuerant: aequatique sunt ceteris illi etiam, quibus non erat promissum. Negotiis aliquis, valetudine alius, hic mari, ille fluminibus distinebatur: expectatum est, prouisumque, ne quis aeger, ne quis occupatus, ne quis denique longe fuisset: veniret quisque quum vellet: veniret quisque quum posset. Magnificum, Caesar, et tuum, disiunctissimas terras munificentiae, ingenio velut admoveere, immensaque spatia liberalitate contrahere: intercedere casibus, occurrere fortunae, atque omni ope adniti, ne quis e plebe Romana, dante congiarium te, hominem magis sentiret se fuisse, quam civem.